





40

CARMEN

ELEGIACVM

SCRIPTVM IN FE-

STO MICHAELIS, DE-

CVSTODIA ECCLESIE

sanctis Angelis de-  
mandata,

ab

ABRAHAMO HOMILIO

Torgensi.



VVITERBERGAE Ioh. Schuuertel  
imprimebat Anno 1568.

AMPLISSIMIS FT PR V-  
DENTISSIMIS VIRIS, CONSV-  
libus & Senatoribus inclite Vrbis Torgæ, Do-  
minis ac patronis suis perpetua  
obseruantia colendis.

Spectati, celebres inter pars optima Ciues,  
Integritate graues, & pietate viri.  
Relligio est vobis vera & sanctissima curæ,  
Auxilium vestrum sentit & orba cohors.  
Hinc ego permotus vobis hæc carmina mitto,  
Quæ canit incultis nostra Thalia modis.  
Accipite hæc faciles vultusq; adhibete benignos,  
Quæ fame haud causa, sed famis ipse cano.  
Accipite has primas quas vobis offero fruges  
Ingenij, & prona mente probate precor.  
Si Phœbus nostros feliciter auxerit hortos,  
His etiam forsitan splendidiora dabo.  
Viuite nunc, cura & sortis vos tangat egenæ,  
Sic Deus Angelica vos teget almus ope.

Vestræ Prudentiæ

addictissimus

Abrahamus Homilius  
Torgensis.

# CARMEN DE CVSTO<sup>DE</sup>

DIA ECCLESIAE ANGELIS  
sanctis demandata.

T' Empore quo plena nunc turgent vitibus vuae,  
Dum j̄ petunt dominas ad sua dona manus,  
Vndiq̄ fœcundos hominum dum turba per hortos  
Tendit, & innumera nunc ope vina legit.  
Angelice extemplo redeunt sacra festa cohortis,  
Christigenis merito concelebranda pijs.  
Nam j̄ iuuat tanti memores quoq; muneris esse  
Nos, & inoblitia mente referre decus.  
Quod mira æthereos hos condidit arte ministros,  
Finxit & in laudes agmina pura Deus.  
Insuper hos nostro lateri quod cœlitus addit,  
Vt nos seruatos semper ab hoste tegant.  
Dispereant omnes & sint sine numine sancto,  
Turpia queis tantum facta referre placet.  
Pergite Pierides, nam vobis flammea turba  
Presto est, excubias que pia semper agit.  
Ipse Deo memorem & gratam testantia mentem  
Pierijs faciam carmina pauca modis.  
Dum cano grata tibi, vultu modo Christe benigno  
Huc ades, & timide dirige nauis iter.  
Vos quibus æterni faciem spectare parentis  
Concessum, & Christo semper adesse Duci,  
Vos mecum canite, & læti deponite laudes,  
Vnanimi mecum carmine templa sonent.  
Dum nos heu miseros, ex omni parte molestant  
Tempora plena dolis, tempora plena minis.  
Omnia dum tristem demonstrant vndiq; vultum,  
Et mundi luætus angulus omnis habet.

A 2

Dum

Et mundi luctus angulus omnis habet.  
Dum furit ALBANVS, dumq; instat Turca Tyran-  
Papa nec, Antiocho saeior ipse, tacet. (nus,  
Hæc dum versamur nos per discrimina rerum,  
Et mentes urgent aspera fata pias:  
Non dubium est tutos quin nos Deus ipse gubernet,  
Inter & incolumes tanta pericla tegat.  
Cætibus angelicis quin nos defendat, & illos  
Ad latera huc nobis semper adesse velit.  
Quos Epicure putas ideo non esse, quod ipsos  
Præsentes usquam nemo videre queat?  
Sponte quasi possis rationis acumine cuncta  
Mystica complecti que DEVIS ipse facit.  
Tuq; erras longè stulte o Saducae, quod ipse  
Circum Christicolas hos volitare negas.  
Esse Deum posses, si velles, ipse negare,  
Cum tamen hunc monstrat quælibet herba tibi.  
Vnde ruit ventus queso, quoque ille recedit?  
Aure licet vigili percipis ipse sonum.  
Sic et si angelicam turbam caligine mentis,  
Et tremulis oculis cernere nemo potest:  
Esse tamen constat reuera, exempla docentq;  
Cuncta nimis longum que recitare foret.  
Falleris ex Sathanæ quicunq; atrocia facta  
Non fieri toties, aut aliunde putas.  
Ille furore suo ceu primus perdidit orbem,  
Decipiens nostrum callidus arte patrem,  
Sic non desistit furijs agitatus & iris  
Victori Christo iam violare pedes.  
Quos non ille dolos, quas non excogitat artes?  
Ut nobis rapiat dogmata sancta Dei.  
Inde studet verum nodoso inuoluere falso,

Inde

Inde serit tectis dogmata falsa dolis.  
Omne genus sceleris securis mentibus infert,  
    Ut cadat in casses preda petita suos.  
Vtq; lupus stimulante fame ardua iugera montis  
    Scandit, per saltus, & loca multa ruit,  
Donec oues teneras pleno deprehendit ouili,  
    Ingreditur, totum dilaniatq; gregem:  
Sic ille immundus, mille ingeniosus ad artes,  
    Multiplici sparso sauit in orbe malo.  
Ille pios odit profitentes dogmata Christi,  
    Quaq; potest illis fraude nocere, nocet.  
Ille velut rugiens Leo totum circuit orbem,  
    Quærens quem doctis deuoret usq; dolis.  
Ille intentatum nil linquit, & omnia turbat,  
    Ut possit cultus tantum abolere pios.

Sed tamen angelici cætus pia membra tuentur,  
    Et pia pro nostra bella salute gerunt.  
Non minus hi peragunt mundum, seuq; Tyranno  
    Omnem aditum claudunt, quo cupit esse nocens.  
Illi hominum à grauibus conseruant corpora morbis,  
    Illorum & referunt vota precesq; Deo.  
Eripiunt castos, diros reprimuntq; Tyrannos,  
    Luclifera prohibent summa pericla manu.  
Ad latus hic adsunt & nobis cuncta ministrant,  
    Cuncta, quibus pasci corpora nostra queunt.  
Qua pius incedit defendunt semper euntem,  
    Substernunt castas, agmina sancta, manus.  
In flamma pueros seruat Babylonide testes,  
    Eripit & medio, nuncius, igne, Dei.  
Sic cinctus fuerat quamvis Elisaus ab hoste,  
    Nil tamen horrescens bellica signa timet.

Sic genus humanum quod complectantur amore  
Angelici cætus, pagina sacra refert.  
Ipsa etiam exemplis hoc monstrat pluribus ætas,  
Quæ numerare quidem nulla Camæna potest.  
Vix clapsa duo, fallornisi, lustra, (referre  
Quod dignum duxi versibus ipse meis)  
Pellebat vitulos pascendos rure bouesq.  
Agresti multum callidus arte puer.  
(Hic qua plena viris atq; ipsi nubibus aqua  
Urbs iacet à cygnis nomina clara tenens.)  
Dum glacialis hyems tenues astringeret undas,  
Albag<sup>z</sup> montana dum niue tecta forent.  
Iussus eratq; boues campis depellere pastos,  
Sed manet expectans, vespera donec eat.  
Cumq; moraretur, nox intempesta repente  
Ingruit, & densæ iam cecidere niues.  
Quid miseri faciant ambo querulig<sup>z</sup> parentes,  
Actum de prolis namq; salute putant.  
Nosse tamen poterant de nato ex nemine quidquam,  
Quærere per densas nec potuere niues.  
Tertia lux donec mæsto se prompsit utrig<sup>z</sup>,  
Et iam paulatim nix resoluta foret.  
Egressi tristes montes subiere parentes,  
Perg<sup>z</sup> vias varias mouit vterg<sup>z</sup> pedes.  
Donec eum offendunt loca propter aprica sedentem,  
Nulla ubi brumalis copia sparsa niuis.  
Ad quem sic ambo fletu & singultibus orsi:  
Ad nos a fili nonne redire cupis?  
Ille sed arridens respondit utrig<sup>z</sup> parenti:  
Cur non expectem vespera donec erit?  
Cumq; inquirendo leti desistere nollent,  
Nunquid iejunus capserit ore cibi?

Vir

Vir, pater ah, inquit, nitidus me accesserat ultrò,  
Qui panem, silices lacteolosq. dedit.  
Hic puer haud dubie est assertus ab agmine sancto,  
Et vir quem vidit spiritus ille fuit.  
Quid vero exemplis opus est, exempla petenti  
Suppeditare potest plurima longa dies.  
Discdens Spira medijs ex hostibus ibas  
Angelico tutus, docte Grynæe, grege.  
Sed quia nota mouent magnorum exempla virorum,  
Vnius historiæ iam meminisse libet.  
Elector Fridericus erat fraterq. Iohannes,  
Qui de Saxonibus nobile stemma trahunt.  
Hi quondam vecti rapidas super Albidos undas  
Leucoris à Torga diuite tecta petunt.  
Undig dum fluclus glomerantur turbine facto,  
Ipsa minitatur seu pericla ratis.  
Hei mihi quām tabule nauis petebantur ab undis,  
Aspera dum glacies vix resoluta natat.  
Nauita significans gelido pallore tremorem,  
Impulsus ventis non regit arte ratem.  
Nam velut ignavius non proficiens rector  
Magna nimo nimium frena remittit equo:  
Sic quo non voluit, sed quo rapit impetus unde  
Cogitur omnino parua carina sequi.  
Quām videoas celerem motas volitare per undas,  
Ceu trepidans summis pluma vagatur aquis.  
Seruatur tamen, & diuino numine sartus  
Optatum portum tangit uterq. Ducum.  
Vix accesserunt propiorem à flumine ripam,  
Arx qua docta tibi Leucoris alta nitet,  
Cernitur in medio planè dirupta carina,  
Vexerat excelsos quæ tremebunda Duces.

Stant

Stant admirantes ambo spectacula tanta,  
Et grati agnoscunt omnipotentis opem.  
Sic Deus angelico protexerat agmine summos  
Seruatos inter summa pericla D V C E S.

Quas ergo o sapiens rerum moderator & autor  
Debemus grates nunc retulisse tibi.  
Quod nos ad viuam faciem tua dextra creauit,  
Quod nece deuicta libera turba sumus.  
Quod iungis vigiles nobis fidosq; ministros,  
Atq; hos inuictis viribus esse iubes.  
Ut validis manibus medio è discrimin'e portent  
Saluifica Christo membra recepta fide.  
CHRISTE Dei fili nostras tu dirige mentes,  
Vni ut possimus dicere grata tibi.  
Angelicus cætus nos fulciat, augeat, ornet,  
Donec in hoc mundo vita superstes erit.

F I N I S.

00 A 6436

ULB Halle  
004 931 300

3





